

**A** deas proprijs laudibus refertissimos. Antiquos autem viros probatissimos, quorum monumenta totam artem illustrauere, præterit omnes, nec dignos putat, qui uel minima quidem laude exornandi sint. Ego uero tantum absum, ut credam contradictiones, & rationes istas, quibus ambiguitates soluuntur empiricæ sectæ conuenire, ut arbitrer summa reprehensione dignos esse, qui talia conjectati sunt. neque enim, si sibi in ea secta constare uoluerint, ad artium constitutionem putabunt aliud esse necessarium, quam sensum rerum euidentium, & memoriam: nihilominus recte admittunt uim quandam in nobis esse, qua eorum, quæ apprehendimus, consonantiam & repugnantiam discernamus. Sed non propterea Heraclides Tarentinus recte putauit hanc prius exercendam, atq; arte acuendam. sufficiunt enim primordia illa, & ueluti lumina, quibus humum ingenii à primo statim ortu natura illustrauit. Videtur enim Heraclides in ea dudum exercitatus, in operibus tamen artis Hippocrate fuisse longe deterior: sicut etiam Menodotus fuit, qui præter sensum & memoriam aliud tertium introducit, quod epilogismum uocauit, atque interduum omisso sensu memoriam tantum posuit & epilogismum: quemadmodum ego in examinatione eorum, quæ contra Seuerum scripsit, diffusius explicaui. Quæ uero profitetur ipse argumenta ad alios redarguendos empiricos non inepti tantum hominis sunt, sed etiam rudis. neque **B** enim empiricis attinet sophismata soluere, sed Aristoteli, & Chrysippo, reliquisq; qui in differendi arte uersati fuerint. At, q; principio illi nobis insito consonantiam rerum & discrepantiam, iudicandi experientiam conuenire oporteat, Theutas ita minutum ostendit, ut in quibusdam sit etiam superuacuus: quemadmodum ego in commentarijs super eius introductorio exquisite declarauit. Hic igitur à me libellus nunc propterea scriptus est, ut ostenderem posse aliquem empirice mendendi artem constituere dimissa omnino inquisitione de rei substantia: Asclepiadi uero, qui falso probare nititur Empiricam sectam nullo statu firmari posse, alias longa oratione occurri. Quantum autem unicuiq; arti constituendæ conferat, si experientia rationi adiungatur, ostensum est à me in libris therapeuticae methodi. in libro etiam, quem de ratione communis inscripsi, declarauit unam esse rationem, quæ uniuersis hominibus insita sit. ubi ostēdi omnia, quæ cognoscimus, uel sensu deprehensa esse, uel ratione quadam, quæ nobis ingenita est, iudicandi conuentiam rerum & repugnantiam, talesq; esse conuentiæ notionem, ut quædam sit necessaria, quam omnes euidentissime intelligunt, qui natura ingeniosi sint, & prudentes: quædā contingens tantum & nulli necessitatib; obnoxia: errareq; hoc loco plurimos homines, qui distinguere nesciant cōtin gens à necessario, unde etiam dogmaticorum discrepantia emersit. Hunc errorem si nos legitime **C** cauerimus, plura quidem erunt, quæ ignorabimus propter immensam difficultatem, in multis tamen, quæ modeste profitebimur, ita simul conueniemus, sicut Geometræ, & Arithmeticci faciūt. Necq; enim ob alium, quam hunc ipsum errorem etiam Empirici medici maxime inter se discent, ut in commentarijs ostendi, quæ de illorum edidi discrepantia.



## FRAGMENTVM QVODDAM EXIGVVM

AC MENDOSVM, GALENO ASRIPTVM GRÆ

CE ADHVC NON IMPRESSVM, EX EIS FORTAS-

D

*selbris superstans, quos ipse ad Empiricos spectantes  
conscripterat: cuius titulus est,*

SERMO ADVERSVS EMPIRICOS MEDICOS.

Augustino Gadaldino Mutinensi Medico interprete.

\* septimum adhuc inspicere desideras & octauum, ac omnino quamplura deinceps. Quid igitur adhuc calumniaberis, & inconsistentem esse experientiam affirmabis, & id, quod sæpiissime fit, interminatum ac suspectum pronunciabis? Quibus insistet dicens. Haud inuenire potes, ut nos magis, quam te ipsum deijcas: quin mihi uideris. ut te ipsum magis. Nam, cum duo sint, alter, qui per solam obseruationem aliquid inueniri dicat, quod & ego sanè uolo, ac uos inuiti licet, confitemini tamen: alter, qui quomodo, quod equidem nec possibile nec utile esse assero, tuum profecto reliquum esset munus, id inuenire. Et quia dubium esse id affiras, sophismate te ipsum deijcias: nos

cies: nos uero nequaquam iniuria afficies. Non enim, quomodo unum quodq; artificiosum fiat, **E** certamen nobis est, sed, quod fiat solummodo: quod sane euidenter cōcessum habemus. Tu uero, qui causas curiose inquiris, debes & illud, quomodo, docere. Sed cōtra, quām deceat, procedere uideris, nec secus facere, ac illi, qui, quoniam, quomodo uideant, ignorant, nequaquam uidere fa-tentur: &, quia etiam, quoniam pacto generentur, quę generantur, & corrumpantur, quę corrum-puntur, & moueantur, quę mouentur, ignorant, iccirco nec generationem nec corruptionem nec motum relinquent. At, quòd maxima uniuersæ rationis uituperatio sit, aduersus euidentia pugnare, quis est, qui nesciat? Nam, qui incipere non potest sine euidentia, quomodo is fidelis sit, cum aduersus id, à quo principia sumpliit, sit audax? Hoc etiam cum uidisset Democritus, quando apparētia uituperabat, ubi dixisset, Lege color, lege dulce, lege amarū: uera autem (hoc est επει) atomū & uacuum: finxit sensus aduersus cogitationem in hūc modum loqui. Misera mens, quę cum à nobis fidem assumpseris, nos deīcis. At, cum nos deīcis, tu ipsa cadis. Cum igitur deceret rationem infidelitate condemnare, nimirū, quę adeo praua sit, ut etiam, quę inter ipsas est pro-babilissima, cum apparētibus, à quibus incepit, pugnet, uos contrarium agitis: quippe ea damna-tis, quę rationem quidem habent, ut fiant, sed ut ratio uult, non fiunt. Mihi uero hoc ipsum maxi-ma rationis redargutio esse uidetur. Quis enim sanę mētis de rebus obscuris illi credat, quę adeo **P** praua est, ut euidentibus contraria statuat? Multis certe adhuc indigent empirici, ut id, quod uolunt, assequantur, etiam si hoc ipsis concesserimus. Nisi enim, quę adhuc supersunt absurdā, me-moratis paria ostendero. nullum etiam profecto istorum mihi commōdum utilitatēm uel esse uo-lo. Tu igitur, certo scio, demiratus es non mehercle nostram, sed empiricorum fatuitatem, si, cum in tot rebus tot concessa assumpserint, nihil tamen plus habent: sed alter error haud minor priori-bus ipsis excipit, exquisita nimirū ignorantia, ac excellens quādam impudentia, ac stupiditas ipsam ferē pecudum stoliditatem superans. Qui, cum necq; à quo incipient, habeant, nec, si hoc ipsis detur, səpissime simili modo aliquid uidere possint, nec tot etiam myriadas, ipsas nimirū ægro-tantium diuersitates uidere, uel recordari, uel scribere possint, (Nam, quę bibliotheca tantā histo-riam caperet? quę anima tot rerum memoriam exciperet?) ipsi tamen nec ita sentiunt, q; seipso deludendo hæc concedunt, sed, tanquam hæc firma ac certa essent, adhuc de sequentibus conten-dunt. Ego igitur non ob illos, quippe superuacaneum est cum lapidibus disserere, sed ut sermonē finiam, euidenter monstrabo, q; quamuis etiam səpissime simili modo aliquid cōspici concedat, nullum tamen ex hoc theorema artificiosum constituent. Et certe nequaquam opineris me Pla-tonis ratione uti, quòd si quod studium (id est επιτήθσανς) naturam materię, circa quam uersatur, **G** cognoscit, id sane ars est: si non cognoscit, τριβη, id est exercitatio quādam est, & experientia: ars autem nequaquam: Ego enim (inquit ipse) artem haud uoco, rem, quę sine ratione est: Hac nāq; Platonis ratione non utor, non, quia uera non sit, insanitem enim si hæc dicerem, sed, quia empi-ricorum inuercundia etiam hoc admittit: nec sibi ipsis curae esse dicunt, si huius rei gratia suum ipsis studium, non artem, sed aliud quid appellem. Quānam igitur erunt meae rationes: Pri-mum ergo ab illis ipsis quoque sumptiones sunt concessæ. Si enim obseruatio eorum, quę səpissime simili modo uisa fuere, ab ipsis, arbitror, empiria, hoc est experiētia, appellatur, componitur autem ex multis singularibus, ipsum autem singulare inartificiosum esse dicunt, fuerit sane, quòd səpissime fit, ex multis inartificiosis cōpositum. Et ita oratio interrogabitur. Si singulare est in-artificiosum, id uero, quod səpissime fit, ex multis singularibus est cōpositum, igitur id, quod səpissime fit, est inartificiosum: atqui singulare est inartificiosum: ergo & id, quod səpissime fit. At forte nec, quod dicimus, se scire dicent: quippe se tum alias disciplinas, tum dialecticen fugere concedent. Si placet, hanc à nobis ipsis dictam rationem omittamus: aliam uero quāpiam eius-temodi eos interrogemus. Nunquid ô Empirici id, quod səpissime fit, quoties nam sit, nobis dicere potestis: uolumus enim & nos per obseruationem, sicuti & uos ipsi, scire. Ut igitur ne aberre **H** mus, mensura eius, quod decens est, non seruata, putantes uel ante sufficientem ipsis inspectio-nem ad finēm uenire, uel ultra, quām conueniat, extendi ob mensurę ignorationem, uobis ege-mus. nobis mensuram ostendite, ut & ipsi aliquid ex obseruatione discamus. O stulte, inquit ri-dens, non est in ipsis una omnium mensura, sed in unoquoq; alia. Tu uero non secus interrogasti, ac si quis uellet, ut tutor, quod nam illud sit calapodium, quo omnes calceat, doceret. Necq; enim pedum una est mensura: inæquales nanque sunt. Nec hīc etiam sane una rerum est mensura: diffe-rentes enim sunt. Ego porrò responsonem lubens accipio atque approbo, multoq; magis ei acquiesco, quām si unam esse omnium mensuram promisisset dicere. tunc enim quoque suspica-re, si, cum res multum inter se differant, unam ipsis mensuram inducere pollicitaretur. Nunc au-tem, si in unaquaque re proprium quid ac peculiare ostenderit, eum ueritatem ualde assēcutu-rum sperauerim. Quocirca à simplicioribus incipiens interrogabo. Si uidero aliquem, cui cere-brī inuolucrum sit uulneratum, quoties nam exquisite scire potero, utrum ipse semper, aut ple-rūq; aut raro, aut ambigue moriturus sit? At nullus ipsis nec ore respondens nobis, nec scri-ptis mandans, mensuram docuit. Num ergo nō habent aliquid in unoquoq; terminatum? Quòd igitur iam eorum res pessum eunt, omnibus est compertum. Sed consequens deinceps fue-rit, quem-

**A**rit, quemadmodum à principio cum ipsis disputauimus, æ quoq; animo congressi fuimus, adhuc etiam nunc singulatim nos cōsiderare, utrum ab illis ignoretur mensura eius, quod sæpiissime fit, ipsa uero in rerum natura sit: an nequaquam constitui possit, ut aliqua sit mensura in eo, quod sæpiissime fit: an ipsa factura sit id nunc artificiosum esse, cum prius minime esset artificiosum. Ego igitur sæpe hoc consideraui, nec certe ex tempore. †



## GALENI DE MEDICAE ARTIS CONSTITUTIONE, Bartholomæo Syluanio Salonenſi interprete.

ARGUMENTVM LIBRI.

*Medicinae omnes partes constitui ex finis præcognitione.*

*Quæ causa componendi huius libri. Cap. 1.*



**C**ONIACUM dñino quodam prædictus instinctu mihi uideris Patrophile, cum perdiscere omnia non sine demonstratione, ac methodo expetas, propensiōni animi tui inseruire decreui, tibi q; de ihs, quæ audiuisti, aut de quibus addubitas, commentaria conscribere. At quonam pacto hanc prouinciam non suscepimus, cum te initium quoddam ducentis ad ueritatem uiæ comperisse videam, cæterum ad eam, ob altitudinem ac longitudinem asperitatemq; solum peruenire nequaquā posse. Nam multos ipsam ne adire quidem adhortatos, uerū ociosos atq; alienos, auersari conspicio: te uero contra atq; illi ani matū: nempe auersantibus ad id usq; temporis uniuersis atq; ad alias uias deflectētibus, ueritatem ipsam, ueluti in editiore quodam loco habitantem, contueris factumq; eius acerrimum pulchritu dinis amatorem neq; te uiā detrectare, neq; soli ip̄si tibi iter committere. Cum itaq; in præsentia ueram medicæ artis constitutionem inuenire concupiscas, toto animo concepisti dolorem. paulo post uero, ut ego suspicor, maiore appetitu impleberis, si ueritatis præfulgēs fueris lumen conspi catus: cum non aliam, ea, quam nunc quæris, meliorem uiā repereris. Nam te circa ueri inuētio nem, quacunq; in materia comminiscaris, recte comparatum video. Tu ergo, cum aures in numeris medicæ artis descendæ gratia subiecisse dices, neq; unde nam auspicari cōueniat cum demonstratione ac methodo, à quo quam audiuisse, ac multo magis sanè, cū nullo congressum, qui uiā tibi à principio ad finem indicaret, id me, quod cupis, commonistraturum recepi, si prius in alijs quoq; artibus rationem experiri meditariq; sustinuisses. Cum uero tu non solum non sis tergiueratus, neq; in uitationem hanc detrectaueris, sed iucundius esse hoc, q; illo, modo affirmaueris ad propositam disputationem uenire, si modo eandem tibi rationē ac uiā in cunctis artibus ostendurum pollicerer: deinde, cū ego uel hoc promisso de prima in mediū prolata cōtemplatione dis sererem demonstrando, cernebam te ex speculationis ueritate gestientem. Itaq; cum multis similiiter ordine dispexisses, atq; ex ihs factricis potissimum, (quoniam huius generis & ea est, quæ ad sanitatem pertinet) tunc ad ipsam transiūisti, ad quam initio fueras cōcitatus. cumq; uel hic unam esse eandemq; perspexisses methodum, operæ precium esse censuisti, ne dicta quandoq; è memoria dilaberentur, quædam de ihs commentaria scriptis mandari. atq; ego tuo, quo ueritatem prosequeris, studio gratulans libros hosce duos composui: alterum, in quo exerceri eum prius oportet, qui fieri artifex uelit, id ostendentem, quod ueteres aiunt philosophi, nempe omni arti cōstitutio nem à finis notione effici: est aut in duo uolumina ob magnitudinē diuisus: alterum ac secūdum, quem nunc inchoamus, aperientem, quonam pacto eadem atq; una ratio ac uiā ut artes alias uni ueras, sic medicinam quoq; constituerit, & uero iam mihi sumendum sermonis exordium est.

*Quotuplices sint artes, quodq; ex finium uarietate constituentur. Cap. 2.*

**Q**UANDOQUIDEM finem obtinent artium nonnullæ in sola natura earum rerum, quas considerant, spectanda, ut Arithmetica, & Astronomia, & Physiologia: aliae certis quidem perfunguntur actionibus, ut saltatorum ars ac præconum, uerum ostendere nullum ex se habent opus, ubi agere desierint: quædam contra, opera, quæ condiderint, ostentant, ut ædificaria & ars fabrilis: aliqua uero nihil procreant ipsæ, cæterum munus ihs, ac studium est aliquid rerum uenari

## GALENI DE MEDICÆ ARTIS

72

uenari ac cōsequi, quemadmodum piscatoria, ac, quæ canibus uenatur, atq; ut uno dīcam uerbo, E omnis uenatoria: tibi uero stat medicam artem cōstituere methodo. primum inspice, ex quoniam artium genere sit, num contemplatiuarum una, an actiuarum, an factiuarum quædam, an possessiua. enim uero id neq; difficilem inquisitionem habet neq; inuentionem. quam enim ob causam prorsus istiusmodi artem adipisci cōcupiuersis, ad memoriam reuoces, oportet. Te igitur primum omnium id ipsum rogabam, cum talis nobis exercitamenti initium fieret: mihi uero uelle respondisti homines, qui corpore præter naturā essent affecto, maxime quidem, si fieri possit, omnes naturæ reconciliare: quod si negetur, certe utriusq; dignoscendi, qui sanabiles sint, qui non sint, cognitio nem aliquam comparare. Quoniam autē hoc dedisti initium sermoni, factiuarum te artium pronunciare eam dixi, quam cōstituere exoptas, utiq; si artis demonstrare opus uales iam actione de functus. Sunt porrò & artes complures alia factrices, fabrica æraria, sectrīx corij, nauium compa etrix, materia fabrica, figlina, pictura, ac, quantus ferè non aliis alterius generis apud homines numerus, artes habentur factrices. Quam igitur in eiusmodi artibus superiore libro didicisti methodum, hanc iam ad eam, quam constituere studies, opportunum est, trāsferas, principium & hic sermoni idem statuens, quod in omnibus illis posuisti, finis notionem: quam cum simus assediti, iam tempus est dicere.

F  
Quis medicinæ finis, & quo in genere artium ipsa fit. Cap. 3.

**P**rima quidem nobis ingenita est tum nostri ipsorum sanitatem frumentum, tum cæterorū hominum notitia: secunda uero ab hac morbo affectorum: unde nobis sanè & ualēdi cupiditas in cessit, et cuiuspiam artis constituendæ, quæ sanitatem uendicet. Verum, quando, ceu opus, facere sanitatem uolumus, una quædam de factricium genere artium fuerit ea, cuius constituendæ desiderio tenemur. At, cum duplex, ut ostensum est, factricium natura existat, hæc, quam quærimus, id, quod iam fuit, restituētibus adscribetur, non, quod antea nondum fuit, cōdētibus. Nam artes quidem nonnullæ res ipsas faciunt, ut textoria, calceolaria &c; alia reparant, quæ defecere, ut quæ uestes pertusas, aut diuulos calceos consuunt. Ita uero rem sese & in ædificaria habere demonstratum est, ergo & huic opus duplex, tum generatio quæ non est domus, tum perpeſſæ instauratio. Necesse quoq; esse ad actionem utranc; obeundam monstratū est, partes domus uniuersas opifex cognoscat, quæ sint substantia, qualia formatione, quanta magnitudine, quot numero, ac quomodo inter se cohærent. Ergo & artem corpori dicatam constituent, quā in præsenti, qui de nominib; litigat, medicinam nobis appellare cōcedant, partem quamlibet simplicem, quali substantia ac figura constet, quanta magnitudine, præterea numerū earum uniuersum mutuamq; G compositionem tenere erit necesse. Vt ergo, qui iam factam domum, qualis nam sit, nosse accuratius uult, ex resolutione dissolutione q; ad eam succēdit pernoscendam, eodē nobis modo hominis corpus ex dissectione innotescet. Nam Deus quidem ac natura, uti is, qui primum ædes cōdidit, sic partes prænoscit, usu nimirum ipsis exemplum pariente, nos uero perinde, ac qui iam inspicit extuctas atq; cognoscit. Tametsi ne nobis quidem, nisi quoad eius fieri potest, cognitionē deo proximā confecerimus, licebit dignoscere, utrum genitę omnes res usus cuiuspiā gratia sint, an frustra nonnullæ. nam & suspicari utrumq; id licet, & ad hæc præterea quasdam uitiosæ procreatas. & sanè etiam hinc optime constitutorum corporum notitia proficiuntur. Sed de his alias.

Quotuplices sint partes, & actiones, quarum dignitio est medico necessaria. Cap. 4.

**E**x dissectione uero, corpora, quæ similia nuncupant, edocti, quali formatione singula eorum, quanta magnitudine, quótue uniuersa numero sint, ac qua ratione constent, compositarum partium scientiam obtinuimus: quas sanè & instrumentarias appellamus. tale crus est, talis manus, talis digitus, oculus, lingua, pulmo, iecur, atq; eiusmodi alia. Proinde est & actiones inuenire partium duplices, alteras simplicium ac similiarium: alteras compositarum instrumenta H liumq;. Cernere igitur licet & crus totum moueri: licet & quemlibet eius musculum: ac pro transuerso quo quis musculo in totum præciso motum cruris quendam interire. Sed &, quæ in corpore sunt, rimanti licet uidere vulnerato, qui in musculum deuenit, neruo primum ipsum quidem musculum sensu ac motu frustrari, cum ipso uero, & qui mouetur articulus. Quamobrem & necessarium est, opinor, nobis artem constituētibus, non partes ac compositionem duntaxat, sed earum quoque actiones, teneamus. atque hac re differemus ab ijs, qui domum ædificarunt. nam illi quidem solas partes ac compositionem norunt: agit enim ex ijs nulla, quoniam nec domus animal est: nobis uero sunt uel actiones quærendæ. Porrò hic quoq; duplex inquisitionis principiū est, nempe actionis, ac partis cognitionis: actionis, ut ratio cinādi, memoria complectendi, eligendi: partis, ut cerebri, dorsi medullæ, ac cordis. Omnium igitur, quas nouimus, actionum partes, ac partium omnium actiones indagabimus. at erit nobis omnino uel hoc loco indagatio per rationem quandam ac uiam, de qua post considerabimus. Nunc uero duplē partium esse ac duplē actionum naturam dictum iam est, ac rursus accuratius dicatur. Actio cruris uniuersi ambulatio est. fit autem ipsis articulaturis alternatim se inuicē extendentibus incurvantibusq;: ut uerbi gratia in genu, anterioribus quidem molam supergredientibus musculis, ac sese per tendones in os tibiae defigentibus, cum tibiam illic attraxerint, fit cruris extensio: q; si interiores sil' r egerint, curuatio: Sic in

**A** Sic in coxa quoq; & pede motiones fiunt curuante sese articulatura uel extēdente. Evidēter itaq; contrahi apparet musculus, ubi cute nudatus circumuestiēte fuerit, ac uelut ad sui ipsius caput retrahi: non tñ descendens in ipsum neruus sensili aliquo motu agitari cernitur, sed is uia esse uidet facultatis, quæ ē cerebro demanat. Enim uero cerebrum ipsum, q; neruis cunctis principium eiusmodi sit facultatis, ex præciso quoq; neruo aperte didicimus: cum in partibus supernis, qui continuus cerebro est, functiones seruet, in infernis deperdat. Vt rū uero quemadmodū neruus ipsum, sic illi rursus pars alia quæpiā uires immittat, an quidam fons ipsum earū sit, haud satis adhuc constat: nam talis de anima speculatio est principatum obtinēte. sed redeamus, unde deflexit oratio.

Instrumentalium & similarium actiones, cruris ac partium ad ipsum

attinentium exemplo. Cap. 5.

**A** Mbulatio quidem uniuersi cruris actio est. hac uero administranda musculosum genus inter cruris partes principatū sibi uēdicat. ex musculis autem ossa, & chartilagine, & adeps, & glandia, & arteria, & cutis, & uenae, & membranae, & colligamenta motus principium obtinet. nam ossa quidem ab ipsis centur prima: ceteræ omnes, q; ossibus circunquaç; adiaceat, cum illis mouetur. Est igitur pedis motus actio musculi: at cruris agitatio totius, actio cunctarum eius partium non est. Proinde duplex actionum esse genus dicebamus, unum primum ac maxime proprie cuiuslibet simplicium partium agentis: alterum per accidens, uel secundo, uel nō primo, uel quo modo totorum actionem instrumentorum appellare cuīquam libeat. Hoc quando diffinitius, quærendum postea est, ex quibus instrumentalium partium, ex quibus simpliciū actio compleatur. ac primum, quandoquidem cruris meminimus, ab instrumentalibus ordiendum. Igitur ossa nisi tot ac tanta eaç; formata ratione essent, atq; eo construerentur modo, utiq; muscularum nihil motus efficeret. Nam ossium in articulationibus alterum recipiat, alterum ineat, oportet: ex trinsecus autem circuniecta in orbem uincula sint, quæ eorum constructionē, ne subsultent, constringant: non tamen adeo cōtentā ac dura, ut motionibus officiant, sed nec adeo laxa, ut quæ articulantur, exorbitare permittant. Itaq; & uincula, magnitudinis cuiusdam, & formationis, & numeri, & compositionis egere uidentur. siue enim maiora uel minorā, siue plura pauciorāe sint, q; oporteat, genita, siue in alia figura, siue alij loco inhærent, nō articulaturæ motus etiamnum fieri, qui criminē careat. Quo igitur modo in ligamentis, ossibus, ac muscularis nunc uerba fecimus, sic in omnibus de actione atq; usū dispicere cōuenit. Nam, si pars quidem nulla, quæ actione, aut usū uacet, sed pro sui ipsius substantia, & magnitudine præterea & figura, & coordinatione optime constituta inueniatur, eam, qualis est, seruare oportet: at, si errato aliquo teneatur, ad meliorem statum ducenda, quod facere non prius licet, quam functionem, & usum, & constitutionem singulorum partium noris. Eæ igitur quærendæ sunt, neq; pigere nos decet, si salubris, ac ualeudinarij corporis scientiam obtinere debeamus.

Quatuor genera, quibus composita corpora constant & labefactantur: ac  
de differentijs solute unitatis. Cap. 6.

**Q** Voniam autē huc sermo processit, est methodi uis memoria repetenda. Neq; enim domus, neq; nauis, neq; lectuli, neq; alterius ullius omniū, aliter quis constitutionē, num accusatio ne careat, an criminī obnoxia sit, exquisierit, nisi composituas partes, quot numero, quantæq; singularē sint, & quo pacto formā adeptæ, ac qua ratione constēt, perspexerit: sed in his compositoriū corporum uirtus ac uitium omnium est. Porrò in his ipsis & domus et nauis affectus esse, nempe in magnitudine, & formatione, & numero, & situ partium, si uirtus quoq; ac uitium insit, ostendebat. at lecti non ijs erit: uestis ergo in quibusdam alijs: calcei uero non ijsdem. In omnibus igit̄ instrumentarij corporibus, quibus essentia ad compositionem spectat, in quatuor generibus uirtus & uitium & affectus cōsistunt: At uero partes si unionē quoq; fm naturam acceperint, hoc quin-

**D** tum quoddam genus sic talibus erit corporibus, ut optimum quidē optimas habeat functiones, uitiosissimum uero deterrimas. Quod si uel aliqua soluta naturalis cōpactio fuerit, nō culpabilis eiusmodi solū dispositio, sed morbus quoq; iam est. Vocetur autem genus tale perspicuæ gratia doctrinæ unionis solutio. nihilq; refert si quisq; & cōtinuitatis solutionem dixerit. Sed fieri in similaribus quoq; hunc affectū operæ premium est intelligi. etenim & ossis, & nerui, & uene, & arterie, & carnis, cū pungit, perrodit, secat, diuellit, rumpit, cōtinuū labefactat: sed nominat affectus in osse quidem, fractura: ruptū aut, quod in carnosis muscularum partibus ex distētione fit. Fibræ quoq; cū sūr tensē se ruperint, cōuulsum uocat affectus. Eadē rōne cūrupto uulnus solutio in carne est cōtinuitatis, nō ex distētione, sed incisione. at, si, quod uulnus infert, acutū ac tenue, sit, punctura, & puctio nuncupat: si graue, cōtusum, atq; cōtusio. Quæ ex erosione proueniūt, si fiant in osse, teredo: si in alijs, ulcus. sed liceat, & aliter nomines. Vniuersæ porrò quinti morborū generis differentiæ tot talesq; sunt, ubi in primis partibus consistant, in instrumentalibus uero, uti diximus, pro genere differentiū coagmētationibus fiūt, uocaturq; auulsa omnia, Grace ἐρωτασματα. Pars tamen similaris aliqua si tota præcisa sit, erit tum ipsius diuisæ, tum uniuersi instrumenti affectus, alias per accidens, ut cum uel muscularis, uel pars eiusmodi perpeſſa alia fuerit: interdum uero & primum, ut qñ id ligamento acciderit. Quemadmodum igitur in uno morbi genere, in quo par-

Isagogici.

g. tium

tum continuum leditur, nunc sum ego discrimina persecutus: sic tu quoq; eodem pacto transige E  
re aliorum quatuor generum differentias experire: nam commemorare eas hoc uolumine proli-  
xum mihi uidebatur, cum exacte descriptæ omnes in libro de morborum sint differentia.

Quæ partes quarum loco restituantur, ac de septem conditionibus bono iudici, ac  
inuentori necessarijs. Cap. 7.

**I**Taque nobis iterum ipsis ad memoriam reuocemus, uel in cæteris omnibus, quorum essentiae species in compositione est demonstrata esse genera quatuor uniuersa, totius eorum substantię correctæq; insuper ac deprauatae in ipsis figuræ causas existere: postea uero scire etiam necessarium esse simplicium ipsarum cuiuslibet partium naturam, si quis idoneus est harum uirtutem ac uitium agnoscere. affectusq; emendare. Labefactata igit in domo tegula, uel latere aliquo crudo, aut cocto, sciat artifex, quomodo eiusmodi aliā finixerit, oportet, ac qua ratione eximat læsam, in cuius locum integrum aliam reponat. Verum illi, qui artem humano corpori prospicientem constituit, præter cætera id quoq; necesse erit, cognoscere, num ualeat pars quæpiam in alterius uicem restitui, an ponere pro alia nequeat. Carnē quidem si affecta resecueris, efficere aliā potes, reciso aut rneruo aut ligamento moliri aliud tale non poteris. nā carni ex sanguine, his ex semine generatio constat. Est uero & os ex ijs unum, quæ in prima formatione consistunt: possumus tamen quicq; F simile ossi in eius locum reponere. Atq; hec ego nunc quidem ex depromptu accepta, exēpli gratia dixi: eum aut ratio scrutari iubet, qui artem cōstituit, ac iam inuentionis principia descripsi, cum ad primam animalis generationē relegarim, ac querere cōsuluerim, quænam genitæ ex semine sint, quæ ex alimento assidue fiant. Magis uero etiam nos indagare cogit ac iubet methodus, utrū quævis partium, quæ similaris ac simplex uidetur, una sit, an ex pluribus conflata: & quinam sit ijs compositionis modus. nam planè & eas constat, ijs, quæ instrumentariae nominantur, analogas, in numero, & figura, & magnitudine, & positu ipsas constituentium, uirtutem ac uitium habituras, si generationis earum modus proportione conueniat. Quod si non ita, sed, uelut quæ tetrapharmacus dicitur, omnibus per totas mistis genitæ sunt, alio modo ipsarum uirtutem ac uitium, morbumq; comperies: quemadmodum, opinor, si non mistis ac temperatis unio earum constet, sed ex subtili appositione, perinde atq; in sicco illo medicamine, quod cephalicum uocat, sic etiā cōsentire uirtutem & uitium, & morbos rei generationi repereris. At uero, si neq; ex multis, quæ specie differat, sed cunctis eiusdem speciei compositæ sint, ueluti, si forte ita contingat, domus aliqua ex solo cocto latere, uel lapidibus, in sola uidelicet similarium partium cōpositione uirtutē, uitium, & morbos inuenies rei generationi peculiares. Quod igitur unum prædictorum quodpiam corporibus competat similaribus, nobis ratio dicitur, at, ex ijs quodnam uerum sit, exactam considerationem requirit. Sanè quidem ad eiusmodi inquisitionem deuenisse uti medicos non nullos, sic & philosophos amplius inter se medicis altercatos cernimus. Proinde uident̄ mihi medicorum pleriq; ea quæstione abstinuisse, cum se id, quod quereretur, inuenturos nequaq; sperarent. Quidam uero se non perinde, ac negata inuentione duntaxat, sed quasi etiam inutili auocarunt. Quod quidem nullo usui non sit, si quis non experientia quadam, sed methodo constitueret artem debeat, iam mihi plane uidetur cōstare. Quod uero nec eam assequi non liceat, deinceps contemplemur, si prius pauca quedam nobiscum differuerimus. Si enim quidquam mihi fidei habes, uti certe habes, cum nihil me ad hominum opinionem, sed ad ueritatem uniuersa gerere uideas, ne te discrepantium tum medicorum, tum philosophorum multitudo deterreat. Nam, si ea, ex quibus nosse uerum oportet, cunctis adfuissent, deinde non inuenissent, diffidere inuentioni par erat. quod si nonnulla quidem haud prorsus habuere, uti sanè uel ipsi confitentur, quædā an habuerint, incertū est, nos uero nobisipsis consciū sumus uniuersa obtinentibus, audacter est quæstio adeunda. Quænam igitur congregandi necesse est, ut quisquam re quavis exploranda aut uerum intelligat, aut, nisi intellexerit, minime inuentionē desperet: septem uidelicet. Primum quidem, acre ingenii, ut, quodcunq; rationale edoceatur præceptum, impigre assequatur. Secundū, educatione à puerili ætate, atq; exercitatio, ut in primis uersatus sit disciplinis, eum uero maxime esse in geometria exercitatum & arithmeticā oportet, sicut & Plato suadet. Tertium ad hæc, aures omnibus, qui optimi sua tempestate esse uiderentur, accommodasse. Tum quartum, nullis ipsum laboribus parcere, ut præter disciplinas aliud nihil die noctuq; meditetur. Deinde quintum, quod paucissimis usu uenit, nempe ueritatis amore captum esse, eiq; uni in tota uita, spretis cæteris omnibus, quæ uulgo studiose expetita sunt, sedulam operam nauare. Sextum ab ijs, methodum quandam perdiscere, qua uerum & falsum discernitur, haud enim ad earum rerum, quas querimus, inuentionem satis erit duntaxat ueritatis desiderio teneri, sed & facultatem quandam inueniendi paratam habere est opus. Septimum præter hæc omnia, exercere methodum, quo non ipsam solum cognoscere, sed uti quoq; ea liceat. Nam, si nō satis esse oratoribus uidetur inferiorem artem profitentibus methodum nosse, sed in uita uniuersa studium eius pertractant, ijs, qui tam magna ambiunt, methodum solummodo didicisse sufficiet: Si igitur ad ueritatem uiam affectanti unum dictorum aliquod desit, æquum est quicquam eorum, quæ cupit, assequi haud admodum speret, quod si suppetant omnia, quid uerum scrutari, cum bona subsit spes, uerat:

Quod

- A** *Quod plura uno sint elementa, & quod non uacent alteratione.* Cap. 8.
- E**nimero, quemadmodū corporis uniuersi partes omnes usq; ad eas, quæ ut ad sensum, simplicissimæ sunt, ex cōfectione didicimus, ita hoc ipsum quoq; inuenire propositum est, quæles primæ ac simplicissimæ partes sint, quæ ad naturam referuntur. Ne igitur in omnibus, uerum in uno, ueluti in exemplo, nobis uerba siant, carne nimirum consideranda, primū quidē, an unum specie elementū sit, quod ipsam genuerit (nihil enim deterius fuerit primam ac simplicissimam in ea partem sic nominare) tum deinde, nisi huiusmodi uidetur, an multa: ac postea quot & quæ & quisnam modus ijs sit compositionis. Quandoquidem igitur dolet caro, cum secatur, & cū uehemeter calescit, non potest unum esse specie elementum, qualem supposuit Epicurus atomum. Quod enim tale non unum specie elementum sit, hinc dilucet. Atomus nulla ipsa per se aut calida suapte natura est aut frigida: uerum nec alba nigrāue est ex ijs aliqua. Ac quid immoror, frustil latimq; comminuendo sermonem protraho: nulla enim ipsi atomo prorsus est qualitas, ut earum patres assertoresq; uolunt. qualitates huiusmodi omnes intelligo, quæ per corpora tota peruenire uidentur. nam omnibus ijs qualitas inest figuræ: inest uero & renixus, & grauitas. Sed, siue qualitatem talia uocare, siue aliud quidquam oporteat, nihil sanè ad præsens negocium habet momē
- B**ti. nam ijs adsunt omnibus ea, quæ diximus, nec inter se differunt specie, ut homœomerae, id est si milares partes, ijs, qui illas supponunt: aut elementa quatuor ea ponentibus. Inquit ergo Hippocrates. At ego aio, si homo unum esset, nunquam doleret, rectissime decernens. nam unum immutabile in aliud est, cum, in quod transmutetur, non habeat. at immutabile, inalterabile est, atque imparabile. quod uero est imparabile, id uacat dolore. Fit ergo ex dictis propositionib. conclusio, quod unum est, id esse imparabile: cui alia rursus huiusmodi interrogāda oratio succedit: Si unum specie est elementum, nihil in omnibus unquam dolebit. at uero dolet, non est igitur elementum unum. Quoniam uero de carne uerba facere institutum erat, in illa examinētur: Sin unum specie est elementum carnis, caro nunquam dolebit. atqui dolet. unū ergo specie non est carnis elementum. Eadem quoq; alio pacto interrogabitur oratio. Si est imparabile elementum carnis, nō dolebit. sed dolet. non ergo est imparabile. Quod si uel plura esse elementa quis dicat, quæ tamen non alterentur, eadem quoq; in illis oratio eodem modo interrogabitur. Nisi patiantur elementa carnis, non dolebit. uerum dolet. non ergo sunt elementa carnis imparabilia. Prior itaq; ratiocinatio, atomorum & incompactilium, & minimorum suppositionem euertit: secunda & homœomerae & Empedoclis opinio tollitur. uult etenim is ex quatuor elementis constare corpora non in se mutuo transeuntibus. Iam igitur sermonem attende, ut oxyus, quam spes erat, partem eorum, quæ perquirebas, comperias maximam. esse enim non imparabilia carnis elementa oportere demonstrauit. Non igitur propositum item in sermone obtinebūt ijs, qui in imparibilem corporum illorum compositione, quæ quidem rerum natura omnium elementa supponunt, gigni dolores affirmant. nam dolere imparabile, neq; cogitatio admittit, ac multo sanè magis nullum attestatur sensibile. Digitos ergo si inuicem complicueris, dein rursus abiungas, neq; coitus, neq; separatio dolorem affert. nam dolere cum patiendo est. at patitur nihil, quod tangit: siquidem est in duobus his pati, alteratione per totum, & continuatatis solutione. Quando igitur ne in passiuis quidem euidenter corporibus congressus aut digressus dolorem mouet, multo minus sanè in imparibilibus mouebit. Verum tamē nec Asclepiadiis incompactile, cum fragile sit, dolebit, dum frangitur, neq; enī sensu est præditum. quare neq; plus huic quidquam accedit, ex quibus patitur, absente sensu, quemadmodum ossi, & chartilagini, & adipi, & ligamento, & pilis. etenim afficiuntur quidem hæc omnia, non autem dolēt, quoniam nec sentiunt. Quod ergo dolorem percepturum est, id esse patibile oportet, ac sentiens: non tamen, quod sensus particeps est, id ex primis sit sentientibus, est necesse: sed sufficit, ut ex passiuis duntaxat. sensum enim adipisci aliquādo potest, cū mutatur alterascitq;. Quoniam uero infinitas numero fieri elementorum alterationes licet ac temperaturas, innumeræ particularium corporum proprietates constabunt: secundum quas absurdum nihil est genita plura esse, quæ sensu careāt: atq; ex ijs, quæ sentiunt hoc magis sentire, illud minus. Quod igitur plura uno esse elementa, naturamq; habere alterascendi sit necesse, declaratum aper te ijs est, qui, ut antea commemorauimus, tota ea sunt suppellectile instructi, ex qua quis comparare scientiā possit. At, qui eo perueniunt stuporis, ut neq; an aliqua sit demōstrandī ratio ac uia, querere prius uelint, aut ab alio discere, uel exerceri, cū ijs ne sermo quidem habendus. non enim ut cum alijs litigaremus, aut de uictoria contendерemus, sed ueritatis inueniendæ studio in hanc disputationem descendimus. nam & ineruditas confutare ipsorum opiniones uolenti scriptus est peculiaris liber, in quo de elementis, ut Hippocratis opinio fert, contemplamur.
- Quatuor esse primas qualitates, & prima corporum elementa. Cap. 9.
- R**ursus ergo ad propositū reuersi, finē ipsi imponamus. Qñquidem alterabile p totum est elementū, quot elemēta omnia sint deinceps percenseamus, quidquā uel hic eorum, quæ liquido apparent, uerborū initū statuentes. Necesse est quodvis alterantibus, ut tangentia quoq; eorum, quæ primum alterant, mutationē faciāt: ueluti docet sensus, ipsaq; rerum indicat natura. nam à flāma, quæ hic est quidquā in Ægypto alterari, à mentis abhorret cōceptu. Et uero, si, quod mutatur alterascitq;. Isagogici:

tat, id tangendo alterat, quibusdam tactilibus, necesse est, agat qualitatibus. Quid igitur est, quod E prohibeat, quo minus eas omnes contemplerur? Secat quidem acutum, quā contingit rem, non eius tamen substantiam alterat, ut nec grauitas: sed conterit quidem & hæc, mutationem autem per totum non efficit patientis substantiam. Verum neq; duricies ita alterare propinquum ualeat, ut in aliam speciem ableget. At caliditas & frigiditas totam alterare admotam substantiam possunt. eodem modo humiditas & siccitas: tametsi nō pari cum supradictis celeritate, sed hæc quoq; subiecta spacio temporis transmutant. Vtrum ergo & aliam quamquam habemus, que alterare ualeat, An uniuersa in his est multitudo, solasq; eas, quas diximus effectuas nominari qualitates conuenit atq; censeri: ac potissimum oppositionem in ijs primam: & in ipsa, caliditatē magis efficacissima enim est hæc qualitatū: ab hac secunda frigiditas: deinde humiditas & siccitas: alia uero qualitas nulla per ipsa tota, quæ proxima sunt, alterat. nam, siquid diuellit, & frangit, & secat, & pugit, agit quidē & hoc, cæterum alterationem non per totum id, quod afficitur, extendit. quo circa nec in aliam speciem ipsum mutat substantiam, sed diducit in plurimas. Ergo, si niuem in minime portiones diuidas, niue seruabis, sin ei calorē admoueris, facies, ut esse nix desinat. etenim & ex aqua ipsa refrigerata generatio constat, non in unum collecta. est enim hoc auctio substantiam, illud generatio. Iam uero & omnium diuisio in parua, substantiam diminutio est: calefactio, alterius genere ratio substantiam, cum priorem formam alterauerit. Corpora igitur, quæ qualitates primum eiusmodi obtinent, illa tum cæterorum omnium sunt, tum carnis elementa. sunt porro hæc, terra, & aqua, & aer, & ignis: quæ philosophi omnes, qui demonstrationem non refugere, ortorū accidentia elementa esse dixerunt: atq; ea uicissim mutari in se aiunt, ac subiectum quoddam esse uniuersis commune. Sed non est sermo de ijs: uerum eorum multitudinem, qui à ueritate errant, demissō uultu uereri minime oportet, sed credere demonstrationi, si quis illā teneat: quod si demonstrationis essentiam planè non norit, ut eorum nonnulli, qui philosophari se dicunt, confitentur, pronunciare omnino non audere. hoc enim perinde est, ac si discere uelis, quo pacto Solis deliquium præcognoscere conueniat prius, quam fueris numeros & lineas meditatus. Tibi ergo suigiendi tanquam barathra id genus homines sunt. secum enim quandoq; sibi adiunctos trahunt demersum, aut prorsus contaminant, nisi satis fuerit quis in logica contemplatione exercitatus. eam ob rem & commentatio illa sic nobis est, ut aliud nihil, colenda. Sed esse hoc præter institutum intelligo. ad id uero redeamus.

*Similia corpora, eorumq; temperamenta, itemq; sanitatem, & agritudinem ex  
quatuor elementis exoriri.*

Cap. 10.

G

**F**It corpus unum similare, quod pro temperaturæ qualitate aut sensu polleat aut uacet, ex qua tuor elementis inter se cōmiscendis. Eodem modo & in utroq; particulatum genere differentiæ omnes temperationis differentiam sequuntur. Pro huius igitur proprietate aliud sit os, aliud caro, aliud arteria, aliud neruus. sed & horum cuiuslibet proprietas in proprietate est temperamēti. siccior enim calidiorq; est leonis caro: humidior & frigidior pecudis: utriusque media humana. & uero hominū ipsorū calidior caro, si ita forte accidat, Dionis: Philonis uero frigidior. Quamobrem quot numero elementa, tot simplices similarium differentiæ corporum fiunt, calidores, & frigidiores, & humidiores, & sicciores: aliae uero compositæ quatuor, humidiores simul & frigidiores, calidoresq; & humidiores, & tertia quedam alia siccior simul atq; calidior, cui succedit quarta frigidior simul & siccior. super ijs est optime temperata, omnium prima. Verum sermonem de his abunde elaborauimus uniuersum in libris De temperamentis: at, qui nunc instat, quoniam in elementorum commoderatione & immoderatione, similarium partium uirtutem ac uitium inuenit, operam deinceps dabit, ut morbum ab earum uitio distinguat. porro distinctio ab utrarumq; rerum notione, ut in libro De demonstratione apertū est, primum initium nanciscetur. Quænam igitur constitutionis corporis notio est sanitate fruentis: & quæ iam morbo laboratis. Actiones ergo naturales habet structura bene ualens corporis integras: ægrotans oblæfas. quare ubi sanus quis infirmiores alio sano functiones obtinet, nondum uero iam offensas, deterioris quidem est temperaturæ, sed nondum ægrotat. Itaq; ex salubribus habitibus unus est, qui temperie optima constet. deterioris octo. morbus autē bene tēperatus nullus, sed male oēs temperati, tot sanè numero, quot uitiosæ sanitatis temperaturæ. Quod sicuti minime placeat sanos alios bene, alios male temperatos ponis, is duorum dogmatum eligere alterum cogetur, aut perpetuo ægrotare uniuersos, aut unam esse omnium tēperaturam, uirorum, mulierum, ætate uigētium, senum, puerorum, athletarum, priuatorum, operariorum, inertium, robustorum, imbecillium: sed absurdum utrumq; est. Tertium igitur dogma necessariū est quandam esse sanitatis latitudinem, ut in ea quamplurimæ sanorum corporum differentiæ (in aduerbiorum) magis & minus ratione cōprehendantur. Ita uero se res, & ita cæteris habet uniuersis. etenim domus, & nauis, & lectus, & arca, & pallium, & calceus, & sella molitione uel præstatiore uel deteriori cōstat pilus. q; ægrotet. Tres quoq; hæc nobis constitutiones corporis rebus uniuersis subiectandæ, optima, uitiosa, ægrotans. sed optima quidem una. nam deteriorius in perfectissimo nō prouenit. aliarū ambarū multitudo facile numero comprehendī non pōt; differentiæ uero in aduerbiorū magis & minus modificatione continent.

Epilogus